

OVATIONES

MARGARET A. BRUCIA

Nunc nobis feliciter facultas suppetit ut quandam mulierem praeclaram, quae tantos annos de hac societate optime meruerit, commemoremus. Haec femina docta, quae in finibus nostris in civitate Novi Eboraci iam plura quam quattuor lustra Latinam linguam docuit, gradu baccalaurei in Artibus in collegio Manhattanvillensi accepto, gradum magistrae in Artibus et, aliquibus annis posthac, doctoris Philosophiae gradum amplissimum in universitate Fordhamensi adepta est. Etiam nunc pueros puellasque in oppido Portus Jeffersonii litteras Latinas docet et animos iuvenales doctrina rerum Romanarum et studio imbut. Non solum scholae aestivae Academiae Americanae Romae sitae interfuit sed etiam, postquam praemio Romae decorata, in matre urbium et capite mundi litteras humaniores unum annum coluerat, nuper socia illius Academiae cooptata est. Neque hanc rem praetereo, quod illis delectis doctissimis, quibus probationes annuae discipulorum Latinae linguae expertiorum mandatae sunt, iam tres annos feliciter praesidet. Vix enim est quisquam qui ignoret eam se laboriosam atque impigram semper praebuisse in omnibus studiis quibus mores emolliuntur et animi ad humanitatem inclinare solent. Plaudite, igitur, ut maxime decet, MARGARET A. BRUCIA.

Fordham University
CW 88.6 (1995)

HARRY B. EVANS

FRANK P. LONG

Sicut Montes Moosicani in Civitate "Clavi-Lapidi", Pennsylvania, ferrum producunt, hic magister praestantissimus—causa laudandi cuius convenimus—discipulis mentes animos ferreos eduxit. Cicero, laudans poetam Archiam, inquit, "Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suspiciendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse."¹ His verbis complures noster socius XLIV annos exhortabatur ut vita maxime fruerentur. Nunc idem discipuli spatium praeteriti temporis in Academia Praeparatoria Scrantoniensi respiciunt et vident se suscepisse sua studia hoc viro doctissimo duce. Quibus parentes, velut pater Horatii, "pueros audebant ad urbem Scrantoniensem portare, docendos artis" ab hoc magistro egregio.² Propter egregiam artem docendi multos honores ab Universitate Scrantoniensi, Academia Praeparatoria Scrantoniensi, et sua civitate accepit. Vergilius bis scripsit, "Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt."³ Honos nomenque laudesque illius cui ovationem damus per res gestas discipulorum in perpetuum manebunt. Plaudamus igitur, et, ut nomen ipsum iubet, longissime, Franciscum P. Longum.

University of Maryland
at College Park
CW 88.6 (1995)

POLLY ANN MAGEE, VALERIE BURDEN,
MATTHEW COLVIN, FRANCES HIGGINS,
AND JUDITH P. HALLETT

¹ Cicero, *Pro Archia* 1.

² Horace, *Satires* 1.6.76-77: *sed puerum est ausus Romam portare, docendum artis.*

³ Vergil, *Eclogue* 5.78 and *Aeneid* 1.609.

ELIZABETH ANNE KEAT

Sicut Catullus noster dixit, "O quid solutis est beatius curis, cum mens onus reponit, ac peregrino labore fessi venimus larem ad nostrum."¹ Tu autem labore fortis, cum mens tua onus docendi brevissimum tempus reponit, ad almam matrem a civitate non solum insigni Diabolis sed etiam notissima nomine Reginae Viarum Stratarum Inter-Civitates rediisti. Plus quam triginta annos discipulos tuos praestantissima arte docuisti, quibus magnum studium linguarum Latinae Gallicaeque dedisti. Tu simul optima et erudita magistra fuisti, multos cursus honorum ascendisti, et multa itinera in terris diversis fecisti. Nostrae Societati profuisti, plurimis muneribus officiisque functa et a sociis praeses delecta. Nemo dubitare potest quin haec magistra nobilissima tantum gaudium vivendique² docendique discendique, tantam sapientiam faciendi³ attulerit ut hanc ovationem amplissime meruerit. Plaudamus igitur Elizabeth Anne Keat.

*University of Maryland
at College Park
CW 88.6 (1995)*

POLLY ANN MAGEE, WAYNE MILLAN
AND JUDITH P. HALLETT

¹ Catullus 31.7-9

² 'joie de vivre' in lingua Gallica

³ 'savoir faire' in lingua Gallica